

*[Faint, illegible handwriting on a blank page]*



85

XXXV

ששז

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

# POENITENTIA,

Quam

PRÆSIDE

VIRO

*Plurimum Reverendo, Amplissimo, atq; Excel-  
lentissimo,*

DN. JOHANNE *Deutschmann*/

S. S. Theol. Doct. Prof. Publ. & Alumn. Elect.

Ephoro gravissimo

*Domino Patrono, ac Promotore eternum  
colendo.*

publicæ disquisitioni submittit.

M. JOHANNES PHILIPPUS *Schulze* /

Torg: Misnicus.

*Ad Diem 1. sept: 1 6 75.*

*In Auditorio Majori*

H. Q. S.

---

WITTEBERGÆ

TYPIS JOHAN. BORCKARDI, ACAD. TYPOGR.



VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis.*

Pietate, Autoritate, Cana Prudentia, & longo  
rerum Usu Eminentissimis.

DN. MICHAEL Henning /  
Flor. Reip. Torg. Judici Primario Magistranti.

DN. CHRISTIANO Frisichen.  
Reip. Torg: Judici gravissimo.

DN: JOHANNI Kunzen.  
Reip. Torg: Camerario & Senatori  
Spectatissimo.

Dominis, Mecoenatibus & studio-  
rum Promotoribus cultu obsequioso profe-  
qvendis.

*Disputationem hanc Theologicam*

*submissè offert.*

M. JOHANNES PHILIPPUS Schulze.

# DE POENITENTIA.

## THESIS I.

**P**oenitentia, seu vera peccatoris hominis *conversio*, juxta  
1. *Scripturam, ad salutem necessaria.*  
2. *Necessaria* siquidem dicitur (1) *propter necessitatem mandati* Thren. III. 40. Jon. III. 8. Joel. II. 12. Zach. I. 2. Matt. III. 2. IV. 17. Marc. I. 15. &c: (2) *propter necessitatem medij*, quia Deus per veram *penitentiam*, tanquam per *medium*, remissionem peccatorum & justitiam confert II. Sam. XII. 13. Psal. XXXII. 5. Esa. I. 16. LV. 7. Jerem. III. 12. &c: (3) *propter necessitatem ordinis divinitus instituti*, quia Deus hunc ordinem primum post lapsum protoplastis instituit Gen. III. 9. seqq. & postea semper omnibus seculis in Ecclesia repetit, quod per veram *penitentiam* regnum caelorum ingredi debeamus Matt. III. 2. IV. 17. (4) *propter necessitatem organi*, tam ex parte Dei, quod est *verbum tum legis, tum Evangelij*, cum illa sit *contritionis*, hoc *fidei* causa, qua ratione vera constituitur *penitentia*, cum omnis *vera penitentia* tum *contritione*, tum *fide*, constare dicatur: quam ex parte nostri, quod est *vera fides*, *fides* autem justificans absq; *penitentia* nec locum invenire, neq; consistere, nec apud fideles subinde peccantes permanere potest; *sine fide vero dicitur impossibile placere Deo*, Heb. XI. 6. (5) *propter necessitatem scopi*, quia nisi *penitentiam* agamus, regnum caelorum non haereditamus Matt. IV. 17.

### *Antithesis.*

1. *Antithesis* est Socinianorum apud Smalz. contra Franz. p. 357. *Quidam servari possunt sine penitentia: sine bonis operibus vero nemo.*

2. Verum *dist.* inter *posse*, & *esse*, cum a *posse ad esse* non valeat *consequentia*. *Dist.* inter *salutem ante lapsum*, & *post lapsum: ante lapsum* homo citra *penitentiam* salvatus fuisset, nec ad vitam aeternam consequendam integer homo *penitentia* quadam

A

opus

## DE POENITENTIA.

opus habuisset: *post lapsum* vero nullus homo peccator sine pœnitentia coram Deo gratiam invenire potest.

### THESIS II.

*ca. efficien*  
1. *Penitentia non est hominis, sed DEi solius opus, adeoq; vere divinum opus est.*

2. Probatur hoc (1) *quia solus Deus peccatores in via docet, nim. veram pœnitentiam Psal. XXV. 8. (2) quia Deus dat homini cor novum, & spiritum novum Ezech. XXXVI. 26. (3) quia Deus per Christum dedit pœnitentiam Israel, & remissionem peccatorum Act. V. 31. (4) quia Deus convertit eos, qui convertuntur, Jerem. XXXI. 18. (5) quia Dei sunt media, per quæ nostra fit conversio, nim. verbum & sacramenta, siquidem verbum est verbum pœnitentia Luc. XXIV. 46. Act. XVII. 30. Baptismus etiam dicitur Baptismus pœnitentia in remissionem peccatorum Luc. III. 3. & Cœna Domini quoq; sumitur in remissionem peccatorum Matt. XXVI. 28.*

### Antithesis.

1. *Antithesis est veterum Pelagianorum, à quibus non adeo procul Pontificii recedunt, qui pœnitentiam pro nostro quodam opere venditant, & vel totam conversionem, vel aliquid conversionis, vel eius initium, viribus nature tribuunt.*

2. Verum dist. inter conversionis principium & subjectum; principium conversionis efficiens Deus est, subjectum recipiens homo. Dist. inter conversionem primam, & ortam, irrogenitorum, & regenitorum; illa solius DEi, sed in hac gratia, semel collata, vires aliquo modo, cum primis in regeneratione donatas, excitare potest. Dist. inter pœnitentiam naturalem, vel etiam moralem, quæ vitæ dicitur externæ, & in nostra quodammodo potestate residet, & inter supernaturalem atq; spiritualem, quæ vitæ spiritualis & solius divinæ virtutis.

### THESIS III.

1. *Penitentia non est absolutum, nec etiam immediatum DEi*

## DE POENITENTIA.

*DEi donum, sed gratia DEi per verbum conversionis spirituale beneficium.*

2. Probatur hoc (1) *quia* Deus ad pænitentiam excitandam, vel conferendam utitur certo ministerio *II. Cor. V. 20. Legati sumus Christi nomine, per nos Deus vos exhortatur, nimirum ad pænitentiam.* Act. XXVI. 17. dicit Paulo Dominus: *Te mittam ad Gentes, ut aperias oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, à potestate Satanae ad Deum.* (2) *quia* Deus etiam verbum suum ad pænitentiam hominum destinavit *II. Cor. V. 19. Deus posuit in nobis τὸν λόγον ἡμετέρας ἀλλαγῆς, Verbum reconciliationis, quod nihil aliud est, quam verbum veræ conversionis, seu pænitentiae: hinc Christus omnes peccatores ad se blandissimis verbis invitat Matt. XI. 28. venite ad me omnes &c: Confer. Esa. LXI. 1. Luc. IV. 18.* Huc etiam referendæ sunt omnes conciones pænitentiales, quæ nec ob aliam causam propositæ sunt, nec alium scopum respiciunt, quam ut homines peccatores per hoc medium ad veram pænitentiam deducantur. (3) *quia* sicut conversio nostra Dei beneficium ordinatum & mediatum est, sic idem de vera pænitentia dicendum, quandoquidem per veram pænitentiam spiritualis hominis peccatoris fit conversio. (4) *quia* sicut Deus in aliis suis operibus atque beneficiis absolute, vel immediate, nobiscum non agit, sic etiam in pænitentia justum, & huic mysterio convenientem, ordinem observat,

### *Antithesis.*

1. *Antithesis est Reformatorum in Confesj. Helvet. Maj. p. 23. ubi statuunt, quod pænitentia sit verum Dei donum. Diserte dicimus, hanc pænitentiam MERUM esse DEi DONUM. In Synod. Dordr. Judic. provinc. p. 4. Vocationem ad fidem & resipiscentiam decreto Electionis (absolute) proximè subordinari.*

2. Verum dist. inter donum merum, & absolutum; non omne donum DEi merum statim est absolutum; dist. inter donum merum ratione nostri, & ratione verbi divini; ratione nostri,

A 2

vel.



## DE POENITENTIA.

vel etiam virium naturalium, dicitur donum merum, non autem ratione verbi divini, vel mediorum divinatorum, per quæ Deus in nobis penitentiam operatur. Dist. inter donum mediatum, & immediatum, penitentia dicitur donum DEi mediatum, non immediatum.

### THESIS IV.

1. *Ministri Verbi* quoque sunt *causæ secundariae*, vel *minus principales penitentiae* salutaris.

2. Probat hoc (1) quia sunt *œconomi* mysteriorum divinatorum *I. Cor. IV. 1.* quæle mysterium citra dubium est vera penitentia. (2) quia sunt *legati reconciliationis* *II. Cor. V. 20.* reconciliationis cum Deo nihil aliud est, quam vera conversio. (3) quia de *Johanne Baptista* dicitur *Luc. I. 16.* quod *conversurus sit multos filiorum Israel ad Dominum Deum ipsorum*: quod autem de *Johanne* dicitur, de aliis pariter intelligitur. (4) quia *Ministri verbum reconciliationis* nobis proponunt *II. Cor. V. 19.* perpetuo clamantes: *Obsecramus pro Christo: Reconciliamini Deo.* (5) quia *Ministri* non per se convertunt homines, sed potius in nomine DEi, adeoque non sine Deo, sed à Deo, cum Deo, in Deo, veræ penitentiae sunt *Ministri*.

### Antithesis.

1. *Antithesis* est *Reformatorum* in *Confess. Helvet. c. 14. p. 23.* ubi non *ministerio*, sed *soli Deo*, quasi cum oppositione *ministerii*, *efficacis penitentiae* tribuunt operationem, vel donationem: *Jubet Apostolus (II. Tim. II. 25.) fidelem Ministrum diligenter erudire obfistentes veritati, si quando Deus his det penitentiam ad agnoscendam veritatem.* Hinc etiam *Anglica Confessio p. 91.* *Ministris* solam *oblationem & denunciationem* adscribit: *Ministris à Christo datum esse dicimus ligandi, solvendi, aperiendi, claudendi potestatem.* Ac *solvendi* quidem munus in eo situm esse, ut *Minister, vel dejectus, & vere resipiscens*, per *Evangelii prædicationem* merita Christi



## DE POENITENTIA.

1. *Christi, absolutionemq; offerat, & certam peccatorum condonationem ac spem salutis aeternae denunciet.*

2. Verum dist. inter *Ministros consideratos ut homines absolute, & relate consideratos ut DEi officiales, & Mysteriorum DEi dispensatores; non ratione sui, sed ratione officii, dicuntur esse causa penitentiae. Dist. inter Ministros sine verbo, & cum verbo spectatos, non priori, sed posteriori respectu, quatenus in ipsis à Deo positum est verbum reconciliationis, dicuntur Ministeriales auctores penitentiae.*

## THESIS V.

1. *Christus etiam non tantum quoad Divinam, sed etiam quoad Humanam Naturam, est auctor principalis penitentiae, sicut & remissionis gratuita peccatorum.*

2. Probatur hoc (1) quia operatio penitentiae, vel collatio remissionis peccatorum est opus officiale Christi Salvatoris; jam autem officialia opera Christo non secundum alterutram, sed secundum utramq; naturam competunt, adeoque Christus θεός & ἄνθρωπος, Deus & homo dicitur auctor verae penitentiae. (2) quia sicut unus est Christus, sic etiam unus est auctor beneficiorum, & unum opus est penitentiae, quod à Christo, tanquam causa principali, suam habet originem, cum alias simul Christus esset causa principalis, quia Deus est, & causa minus principalis, quatenus homo, quod minime concedendum. (3) quia Filius hominis discretis verbis dicitur in terris habere potestatem remittendi peccata *Matt. IX. 5.* (4) quia Christus tanquam Dominus, suis Apostolis, & aliis Ecclesiae Ministris, potestatem remittendi, vel etiam ligandi peccata mediantibus clavibus *Job. XX. 23.* concessit. (5) quia factis ipsis peccata remisit, & haec sua facta stupendis miraculis confirmavit *Matt. IX. 2. seqq.*

## Antithesis.

1. *Antithesis est Reformatorum, qui Christo secundum Humanam naturam auctoritatem principalem penitentiae, vel remissionis peccatorum, non concedunt, sed vel significative, vel*

## DE POENITENTIA.

meritorie, vel organicè tantum remissionem peccatorum conferre, vel pœnitentiam operari statuunt. Zanch. l. 2. de N. D. c. 1. thes. 3. p. 52. Sacralitera distinctas docent fuisse, & esse in Christum naturas, tum proprietates, tum actiones; Quod frangeret panes, hoc erat humana, quod vero eas multiplicaret, divina: quod clamavit, Lazare, veni foras, humana, quod vivificavit, & resuscitavit, divina: quod diceret, REMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA, humana, quod REVERA remitteret, divina: quod moreretur, à carne erat, quod vero sua morte expiavit peccata nostra, à Spiritu: quod sepeliretur, carnis fuit, quod vero se excitavit à mortuis, Deitatis; quod in cena panem dedit Apostolis, hominis erat, quod vero sui corporis eos fecerit participes, DEi: quod calum occupet, omnium electorum nomine, humana est natura, quod idem nobiscum fit, habitetq; in cordibus nostris, divina: quod interpellet pro nobis, humana, quod nos justificet, regeneret, operetur in nobis velle & perficere, quod regat & ducat in viam mandatorum suorum, divina: deniq; quod venturus sit in nubibus, & unus dicturus, Venite benedicti, & alteris, Ite maledicti, id faciet secundum Humanam, quod vero unum. quævis judicabit secundum perspecta sibi omnium corda, cogitata, desideria, opera, id faciet, ut Deus &c: Vid. Zvingt. t. 2. in Exeg. p. 338. Piscat. in Apol. contr. Roderum p. 458.

2. Verum dist. inter humanam naturam καὶ αὐτὸν, & κατ' ἄλλο, κατ' ἑστίαν, & κατὰ νοῦν consideratam, non priori, sed posteriori respectu Humanæ naturæ tribuimus auctoritatem principalem remittendi peccata. Dist. inter statum exinanitionis, in quo ministerialiter & principaliter simul peccatorum remissionem contulit, dum non tantum Dominus, sed etiam Minister circumcisionis fuit Rom. XV. 8. & actu ministerialem pœnitentiæ prædicationem, & remissionem peccatorum administravit, & inter statum Exaltationis, in quo tantum principaliter pœnitentiam & remissionem peccatorum confert.

## THESIS VI.

1. Neq; Filius, neq; Spiritus Sanctus veræ pœnitentiæ συν-  
υαρία

## DE POENITENTIA.

*αἰτία* rectè dicuntur, sed potius una cum *Patre* simpliciter unum *κύριον αἴτιον* inferre deprehenduntur.

2. Nam (1) *Pater, Filius, & Spiritus S.* simpliciter unum esse perhibentur *I. Job. V. 7.* adeoq; neutiquam una persona *κύριον αἴτιον*, reliquæ tantum *συναίτια* dici poterunt. (2) sicut una datur trium personarum Deitatis essentia, sic etiam una datur essentialis *ἐνέργεια*, & hinc etiam una Deus est *αἴτια*, vel unum *αἴτιον*: unum autem *αἴτιον*, quatenus est tale, non simul potest esse *κύριον αἴτιον, & συναίτιον*. (3) *Filius & Spiritus Sanctus* in omnibus operibus divinis sunt *causa principalis*: ergo pariter in ipsa pœnitentia. (4) sic vera vel *coordinatio*, respectu Filii & Spiritus S. vel etiam vera *subordinatio*, respectu *Patris*, concedenda foret, quod omnino falsum, cum nec *subordinatio*, nec *coordinatio*, verum in divinis reperiat locum.

### *Antithesis.*

1. *Antithesis* est nonnullorum *Reformatorum*, qui cum *Eucano* in *Instit. Theol.* loc. 30. p. 291. *Spiritum Sanctum, & Filium* etiam inter *συναίτια* numerant. *κύριον αἴτιον pœnitentiae*, scribit, *ipse Deus est, at Spiritus Sanctus συναίτιον*. Sic loc. 29. p. 273. *causam fidei* vocat *Deum, & συναίτια Filium & Spiritum, S.*

2. Verum *dist.* inter *Spiritum S.* ipsum, & inter *Spiritum Sancti ministerium*: *Spiritus Sanctus* ipse *κύριον αἴτιον*, sed *διανομία τῆς πνεύματος, συναίτιον* aliquod infert, quia *Ministri* sunt *συνεργοὶ θεῷ* *I. Cor. III. 9.* *Dist.* inter *αἴτιαν, & διοκονομίαν*; licet peculiaris *œconomia* Spiritui S. tribuatur, non tamen peculiaris *energia*, vel *αἴτια*, vel *συνέργεια* causalis, ipsi competit.

### THESIS VII.

1. Omnes homines in genere, quatenus sunt *peccatores*, pœnitentiam agere possunt, atq; debent.

2. Probatum hoc (1) quia Deus omnibus hominibus in protoplastis pœnitentiæ medicinam ordinavit, & per eos omnes etiam ad pœnitentiam vocavit *Gen. III. 9. seqq.* (2) quia Deus annuntiat, aut annunciarum curat hominibus, ut omnes ubiq; pœnitentiam agant *Act. XVII. 30.* (3) quia Christus, Prophetæ & Apostoli pœnitentiam.

*Subjec*

## DE POENITENTIA.

penitentiam indifferenter omnibus hominibus prædicarunt, ut passim videre licet, quorum exempla laudatissima fideles etiam Ecclesiæ ministros imitari decet. (4) quia Deus non vult mortem morientis, sed ut convertatur & vivat Ezech. XXXIII. 11. nec vult ullos perire, sed omnes ad penitentiam reverti II. Pet. III. 9.

### Antithesis.

1. Antithesis est Veterum Novatianorum, & recentiorum Socinianorum, qui negant, lapsos post conversionem, per penitentiam converti posse, apud Smalz. contr. Franz. p. 55. ubi negat, lapsos post conversionem per penitentiam redire posse. Volkel. l. 4. de V. R. c. 23. p. 358. Haud alienum h. l. fuerit considerare, an, si in caelestem veritatem jam agnitam quispiam vel semel peccet, penitentia illi sit opus? Respondet: Penitentia nomine vel simplicem quendam animi dolorem intelligi, qui ex eo proficiatur, quod factis nostris improbemus, idque vellemus infectum, vel animi ac vite totius mutationem in melius, quæ omnium frequentissime per avolæ voce in S. L. designatur: priori significatione accepta penitentia in hominibus, etiam postquam divina disciplina imbuti atque regenerati sunt, locum habet, & habere, quoties lapsus suos agnoscunt, debet. Lapsus enim illos, ex quibus is dolor percipitur, nequaquam ab omnibus, qui Christo sese plane consecrarunt, abesse, palam est: Penitentiam vero illam, quæ totius vite conversionem continet, in hominibus regeneratis nullum amplius locum habere liquet. Ut enim ea quispiam indigeat, non satis est, illum interdum in peccatum aliquod labi, nisi de iustitie statu prorsus deiciatur, ex quo justus injustus fiat. Non enim (inquit Christus) veni vocatum justos, id est, pro virili sua parte iustitiam colentes, quamvis interdum prolabantur, sed peccatores, id est, eos, qui peccati consuetudine tenentur, ad penitentiam.

2. Verum dist. inter penitentiam absolutam & Socinianam, in humane mutationis actu spectatam, & inter penitentiam re-  
latam, vel Christianam, in merito Christi fundatam; si Deus semel pro semper peccata condonaret, vix nova conversio sperari posset; sed quia janua penitentiae, vel salutis, in merito Christi fundata, nobis patet, ideo tamdiu remissionem peccatorum expectare

## DE POENITENTIA;

Etare possumus, quamdiu meriti Christi gratia nobis prædicatur. Dist. inter *pænitentiam legalem, & Evangelicam*; illa nullam ex peccatis remissionem peccatorum expectare potest, sed *hec* in peccatis etiam à Christo propitiatore, vel propter ejus satisfactionem, gratiam & peccatorum indulgentiam sperare novit.

### THESIS IIX.

1. Christiani de peccatis in universum omnibus, etiam *habitualibus, & contra conscientiam commissis*, vere pænitentiam, juxta DEi verbum, agere possunt.

2. Probatur (1) *quia Christus & Johannes Baptista, Judæis, Phariseis, Sadducæis, Militibus, Publicanis &c.* tanquam peccatoribus habitualibus, & gravioribus sceleribus pollutis, pænitentiam *Matt. III. 2. Marc. I. 5. Luc. III. 7.* æqq. prædicarunt. (2) *quia* Deus gentibus etiam pænitentiam prædicari curavit, qui toti toti peccatis habitualibus immergi fuerunt. *Act. XVII. 30.* (3) *quia* si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, & tamen peccata confiteri possumus, & remissionem eorum consequi, licet habitualia peccata commiserimus *I. Job. I. 8. 9. 10.* & nemo vivit hominum, qui pravam concupiscentiam, & originalis peccati vitiosum habitum non possideat, & tamen omnes ad pænitentiam invitantur. (4) *quia* peccatores etiam habituales conversi sunt, veluti Matthæus, Zachæus, Maria Magdalena, Lathro &c.

### Antithesis.

1. *Antithesis* est Socinianorum apud Socinum ipsum in libr. *svaf. p. 4.* quod is, qui ex habitu peccat, pænitentiam agere, atq; sic ad gratiam reverti, & salvari nequeat.

2. Verum *dist.* inter habitum peccati ratione *natura sua, & ratione gratia divina* consideratum; ratione *sua natura* nihil pænitentia peccatorum habitus affert, ex gratia tamen DEi, quæ superabundat supra peccatum omne *Rom. V. 20.* pænitentiam admittere potest. *Dist.* inter possibile ratione *nostri, & ratione DEi*; licet propter Diaboli malitiam homo, ratione, sui, pænitentiam a-

B

gere

*objecti*

DE POENITENTIA.

gere non possit, tamen ratione Dei nec habituale peccatum paenitentiam respuit.

THESIS IX.

1. *Paenitentia proprie loquendo non est hominis mutatio totalis, vel plenaria reformatio peccatoris.*

2. Nam (1) paenitentia peculiare Dei donum est, idq; mysticum, vel spirituale, quia de causa mutationem ejusmodi totalem simpliciter inferre nequit. (2) paenitentia non est ipsa vitae culpabilis emendatio, sed via potius ad emendationem & reformationem vitae. Rom. VI. 22. dicit Paulus: *Postquam ergo liberi facti sumus à peccato, fructum habemus, quod sancti simus.* (3) Vitae reformatio nihil aliud est, quam renovatio, vel obedientiae novae studium, quod paenitentiam sequitur, eam verò non ingreditur.

*Antithesis.*

1. *Antithesis est Socinianorum, qui passim per ejusmodi plenariam reformationem, seu mutationem, paenitentiam describunt.* Volkel. i. 4. de V. R. p. 186. *Vitae correctionem, quae & Paenitentia nomine à divinis autoribus appellatur, omnibus annunciatam & mandatam fuisse, manifestum est. Haec autem à Gracis μετενοεω, id est, mentis mutatio dicitur, ut facile appareat, cum ex mente humana omnes actiones profluant, paenitentiam, TOTIUS VITAE CONVERSIONE quaedam generalis contineri, quae fit, ut homo, si ad ipsius mores, actionesq; habeatur respectus alius, atq; antea fuit, merito censeatur. Hinc colligitur ad veram paenitentiam constituendam, nequaquam satis esse, lacrymis, tristitiaq; sese dedere, peccatorum confessionem edere, eorum deniq; condonationem sperare, ut multi existimant, nisi universum vitae statum ita commutes, ut omni impuritate propulsata, totum te ad justitiae cultum accommodes. Omnem porro vitae cursum in alium convertendum ei esse, quò jure sibi veram paenitentiam assignare velit, plurimis sanctarum literarum testimoniis comprobari potest &c.*

2. Verum dist. inter conversionem moralem, & spiritualementem; illa si plenaria sit, totius vitae conversio dici potest; haec autem, quae nititur Christi merito, & ad fidem potissimum respicit, nequaquam

## DE POENITENTIA.

etiam formaliter ad vitæ conversionem, vel morum & actio-  
num mutationem referri debet.

### THESIS X.

1. Neq; penitentia vera vel præcipue, vel tantum in animi,  
sive mentis mutatione consistere dicitur.

2. Nam in scriptura sacra, quæ sedes veræ penitentiae non  
tantum, sed etiam norma, vel cynosura, penitentiam Christia-  
norum non tam per animi mutationem, quam per veram conver-  
sionem describere solet. (2) Vera penitentia quidem quoad ter-  
minum à quo dicitur à peccatis aversio I. Reg. IIX. 35. Esa. LIX. 20.  
sed ratione termini ad quem formaliter est reversio ad Deum, vel  
divinam gratiam & misericordiam. (3) fides, cujus potissimum in  
penitentia respectus esse debet, à talis penitentia prorsus exularet.

#### Antithesis.

1. Antithesis est Socinianorum apud Smalz. contr. Franz.  
p. 353, ubi pro formali penitentia mutationem animi, & reformatio-  
nem hominis venditat: Dicimus, inquit, omitti in hac descriptio-  
ne id, quod est forma penitentiae. *Мелдрвога* enim est mutatio ani-  
mi, vel mentis. Ubicunq; igitur illa non est, vel saltem decretum ejus,  
& conatus firmissimus, ibi quidvis aliud est, quam vera penitentia.  
Nunquam id, quod quis semel fecit, facere, summa est penitentia.  
Vid. p. 356. 456.

2. Verum dist. inter penitentiam philosophicam, & Theolo-  
gicam, illa talem mutationem saltem requirit, sed hæc præter mu-  
tationem istam veram per fidem ad Deum conversionem, vel cū  
Deo conjunctionem requirit. Dist. inter externam vitæ penitenti-  
am coram hominibus, & inter internam cordis penitentiam coram  
Deo; non ex illa, de hac, simpliciter est judicandum. Dist. inter  
penitentiae sensum Etymologicum, quo penitere nihil aliud infert,  
quam post factum sapere, respicere &c: & inter sensum mysti-  
cum; priori sensu dicitur animi mutatio, posteriori quidem animi  
mutatio dicitur in penitentia, sed materialiter, non formaliter,  
nec ita nude spectatur, sed potius ad Deum per fidem semper re-  
spicere

DE POENITENTIA.

picere conatur, cum sine fide nec sit, nec esse possit, nec esse debeat vera, salutarisq; penitentia.

THESIS XI.

1. Hinc à nonnullis *forma Penitentia* dicitur in duobus gradibus, sive terminis consistere, nimirum in termino à quo, & in termino ad quem, qui tamen orthodoxe declarandi veniunt.

2. Nam terminus à quo sunt peccata nostra, status corruptionis, vel *vita male acta*; sed terminus ad quem ipse Deus est, non equidem absolute consideratus, sed quoad gratiam reconciliationis; vel etiam misericordiam, in merito Christi fundatam: siquidem quamprimum peccata, vel eorum turpitudinem rectius agnovimus, & de peccatis commissis veram corde contritionem concepimus, ad Deum, Deiq; misericordiam in Christo, vel ejus merito fundatam, confugere contendimus.

*Antithesis.*

1. *Antithesis* est Socinianorum, qui terminos hosce duos constituent, *scelerum abjectionem, & justitiae exercitationem, vel malam & bonam vitam, mala & bona opera.* Volkel. d. 1. p. 187. Sequitur, ut quo pacto duobus orationis terminis haec penitentiae disciplina nobis tradatur, videamus. Animadvertendum igitur est, priorem terminum, *scelerum abjectionem*, alterum vero *justitiae Exercitationem* continere. Hoc autem rursus duobus modis perficitur: vel enim in uno, eodemq; loco uterq; terminus habetur, vel in diversis locis, jam prior, jam posterior exprimitur. Hoc prolixè p. 187. 188. & seqq. ex scripturis deducere conatur.

2. Verum dist. inter terminos ipsos formaliter, & inter terminos materialiter spectatos: multa terminis materialiter conveniant, quae tamen formaliter ipsos terminos non inferunt, Dist. inter terminos immediatos & mediatos; opera bona quidem sequuntur etiam nostram conversionem, sed non immediate terminum ad quem constituunt, sed ejus consequens, effectum, fructum & eventum dicunt.

THE.



DE PŒNITENTIA.

THESIS XII.

1. *Due sunt partes veræ pœnitentiæ, nim. Contritio, quæ prior est pars ex lege, & fides, quæ posterior est pars ex Evangelio.*

2. Probatur (1) *quia* scriptura tantum duas pœnitentiæ partes ostendit *Marc. I 15. Luc. XXIV. 47. Act. III. 38. c. XX. 21. XXVI. 20.* (2) *quia* partes hæ duæ totam pœnitentiæ naturam exhaustiunt, sicut è pœnitentiæ consideratione manifestum. (3) *quia* duo tantum sunt veræ conversionis termini, prout *thes. preced.* notatum, quorum prior, nim. peccatum, veram contritionem, posterior nim. Dei misericordia, veram fidem requirit. (4) *quia*, juxta scripturam, hæ duæ partes in omnibus pœnitentium exemplis luculenter apparent. Licet autem in pœnitentiâ proprie loquendo nullæ partes inveniuntur, ἀναλόγως tamen eidem appropriantur. Non autem ratione materialis conditionis, vel compositionis, sed ratione formalis relationis, nim. respectu terminorum à quo, & ad quem, partes hæ concedendæ veniunt.

*Antithesis.*

1. *Antithesis est Socinianorum apud Smalz. contra Franzi. p. 354. Ista partes pœnitentiæ (nim. contritionem & fidem) pro essentialibus admittere nullo modo possumus, quas nobis Franzius constituit.*

2. Verum *dist.* inter partes *physicas* & *mysticas*, inter partes *essenciales* proprie dictas, & *analogicas*; non eadem pœnitentiâ *physice* loquendo partes *essenciales* habet, *analogice* tamen ipsi partes *essenciales*, instar materialis & formalis, attribuimus. *Dist.* inter pœnitentiâ *Socinianam* atq; *moraalem*, quæ consistit in *vite correctione*, vel *mutacione*, & inter *orthodoxam*, vel *Christianam* & *spiritualem*, quæ consistit in vera peccatoris ad Deum conversione; non illi, sed huic, partes illas tribuimus.

THESIS XIII.

1. *Fides igitur veræ pœnitentiæ pars est, quatenus nim. ipsam pœnitentiæ naturam ingreditur, non autem quatenus doctrinaliter eam antegreditur, vel etiam legaliter eandem sequitur.*

*Partes*

*De re pœ*

## DE POENITENTIA,

2. Probatur (1) quia pœnitentia nihil aliud est, quam conversio ad Deum; jam autem sine fide nulla conversio fieri potest, cum sine fide sit impossibile placere Deo *Heb. XI. 6.* & accedentem ad Deum oportet credere, *ibid.* (2) quia natura pœnitentiæ fidem includit *Matt. XXI. 32. Act. XIX. 4. XXVI. 18. 20.* (3) quia remissio peccatorum, finis & fructus pœnitentiæ, fidem ante se necessario requirit *Matt. IX. 2. Marc. XVI. 16. Act. X. 43. Rom. III. 23.*

### *Antithesis.*

1. *Antithesis*, præter *Papistas, Calvinianos, & alios*, itidem est *Socinianorum* apud *Smalz. d. 1. Ad naturam pœnitentiæ fides non pertinet, sed consequens ejus est.*

2. Verum *dist.* inter fidem ipsam, & externam fidei energiam, illa pœnitentiam ingreditur, hæc eam sequitur. *Dist.* inter fidem justificationis, vel conversionis, & inter fidem renovationis, vel externam per charitatem operationis; hæc consequens est pœnitentiæ, sed illa necessario pœnitentiam ingreditur, veluti constituens, eamq; salutarem efficit.

### THESIS XIV.

*e adjuvando  
va obedientia* 1. *Obedientia nova* neutiqum est vera, proprie dicta, vel essentialis & interna pars pœnitentiæ.

2. Probatur (1) quia fructus est pœnitentiæ *Matt. III. 8. Facite fructus dignos pœnitentiæ.* (2) quia certum est, quod obedientia nova consistat in bonis operibus, ea verò distinguuntur à pœnitentiâ *Apoc. II. 5.* (3) quia nova obedientia revera dicit obedientiam nostrâ, quando videlicet Deo post actam pœnitentiam obedire discimus: at sine vera conversione, vel pœnitentiâ, nec ad Deum accedere, nec eidem obedire possumus. (4) quia scriptura novam obedientiam facit pœnitentiæ consequens *Act. II. 38. seq. III. 18. seq. Rom. VI. 18. 22.*

### *Antithesis.*

1. *Antithesis* est *Socinianorum* apud *Smalz. contr. Franz. p. 355. 356.* ubi reprehendit in *Franzio*, quod affirmavit, *Novam obedientiam*

## DE POENITENTIA.

*obedientiam simpliciter non esse partem essentialem poenitentiae, cum tamen hac sola fere sit esse poenitentia.*

2. Verum dist. inter poenitentiam *fictam*, quæ consistere dicitur in mutatione mentis & actionum, & inter *veram*, quæ consistit in conversione ad Deum: ad illam, Smalzius essentialiter obedientiam refert, ad hanc essentialiter non pertinet. Dist. inter obedientiam fidei, quæ nihil aliud, quam ipsa meriti Christi apprehensio, vel admissio, & inter obedientiam facti, vel vite, quæ consistit in studio Bonorum operum; illa, non hac, veram poenitentiam essentialiter ingreditur.

### THESIS XV.

1. Confessio non est pars poenitentiae, licet ad poenitentiam vel referatur, vel requiratur.

2. Probat (1) quia Confessio peccatorum nihil aliud est, quam veræ poenitentiae testimonium vel externum, si nim. sit oris externa confessio, vel internum, si cordis sit interna confessio. (2) quia confessio potius dicitur esse fructus fidei, vel poenitentiae, quam pars fidei, seu poenitentiae. (3) quia vera dari potest poenitentia sine confessione: poenitentia vero sine partibus veris dari non potest.

### Antithesis.

1. Errant autem Papistæ, qui tres poenitentiae partes, constituent, nim. Contritionem cordis, Confessionem oris, & Satisfactionem operis, & sic inter alias partes Confessionem oris loco medio numerant, quemadmodum è Concil. Trident. sess. 4. de poenit. c. 3. constat: Sunt autem quasi materia hujus sacramenti (Poenitentiae) ipsius poenitentis actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio: qui quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam, & perfectam, peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes poenitentiae dicuntur. Et paulo post: Hæc de Partibus & essentia hujus Sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententiam damnat, qui poenitentiae partes, incusos conscientiae terrores, & fidem, esse contendunt. Item can. 4. Si quis negaverit, ad internam & perfectam peccatorum remissionem, requiri tres a-

ctus

*Be adjun  
Confessio*

## DE POENITENTIA

*Etus in penitente, quasi materiam Sacramenti penitentia, videl. Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quae tres penitentiae partes dicuntur; aut à 2. erit, duas tantum esse penitentiae partes, terrores scilicet, incusos conscientiae, agnito peccato, & fidem, conceptam ex Evangelio, vel absolutione, quae credit quis, sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.*

2. Verum dist. inter penitentiam Christianam, quae spiritalis est, & verum regni caelorum mysterium, adeoque suam ex lege simul & Evangelio dicitur originem habere, & inter penitentiam Antichristianam, quae papistico sensu sacramentalis est, & pecuniarum aucupium, adeoque suum ex inventis Antichristi ducit ortum; illa saltem duas habet partes, nempe contritionem, vel terrores incusos conscientiae, & fidem, haec tres dicitur habere partes, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem.

### THESIS XVI.

1. Remissio peccatorum, finis & fructus penitentiae, saltem ex mera Dei gratia, ne utique ex operum conditione nobis contingit.

2. Probat (1) quia remissio peccatorum nobis gratis datur Rom. III. 25. (2) quia Deus ad nudam, sed veram fidei confessionem remissionem peccatorum distribuit Psal. XXXII. 5. I. Job. I. 9. (3) quia remissio peccatorum solius est misericordiae divinae Eisa. LV. 7. Hos. XIV. 2. seqq. I. Job. I. 9. (4) quia sicut penitentia Dei donum atque beneficium est, ita quoque remissio peccatorum, ex penitentiae vera promanans, gratuitum DEI donum esse dicitur. (5) quia solus Deus peccata remittere potest, Matt. IX. 3.

#### Antithesis,

1. Antithesis praeter Papistas est Socinianorum apud Schlichting, in c. 1. Galat. p. 11. Hac demum conditione (ut sancte & inculpate in posterum vivamus) peccatorum venia re ipsa nobis contingit, ut inter alia docet Johannes I. Epist. I. 6. 7. Confer. idem Schlichting. Comm. in Epist. ad Heb. p. 363.

2. Verum dist. inter conditionem, & consecutionem; non sunt opera bona conditiones, sed consecutiones verae penitentiae. Dist. inter remissionem peccatorum à priori, & à posteriori consideratam; non à priori, sed à posteriori remissio peccatorum Bonorum operum studium requirit.


✓  
00 A 6436

ULB Halle 3  
004 931 300  


KD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

THEOLOGICA

85  
1  
ENTIA,

IDE  
O

*Amplissimo, atq, Excel-  
simo,*

**E Deuschmann /**

f. Publ. & Alumn. Elect.

gravissimo

*Promotore eternum  
ndo.*

itioni submittit.

**MILIPPUS Schulze /**

Misnicus.

*sept: 1 6 75.*

*rio Majori*

s.

EBERGÆ  
ARDI, ACAD. TYPOGR.